





D. V. E. T. A.

1594, 4

Sub præsidio clariss. viri

FRANCISCI PARCOVII
ROSTOCHIEN. MEDICINAE DO-
CTORIS ET PROFESSORIS PVBLICI

ac eiusdem facultatis pro tempore

DECANI,

Propositiones sequentes

DE PLEVURITIDE

EIVSQUE CVRATIONE,

*Ad consequendum in illustri IVLIA, summus
in ARTE MEDICA gradus.*

DEFENDENT

M. ANTONIVS MACHOLDVS
inclytæ Reipub. Brunsvicensis Physicus.

M. HERMANNVS CVNERDINGVS
inclytæ Reipub. Hildesienfis Physicus.

M. CASPARVS ARNOLDI
designatus Medicinæ professor in
illustri IVLIA.

*Fiet disputatio a. d. XIIIX. Septembr. horâ &
loco consuetis.*

HELMAESTADII

Excudebat Iacobus Lucius, Anno M. D. XCIV.

FRANCOIS DE LA ROCHEVILLE

ROSTOCKIENSIS MEDICINAE DOCTOR

DE GALLIENSIS ACADEMIAE RESPONDENS

DECANUS

DE PUBLICA UNIVERSITATE

ALMA MATER ROSTOCKENSIS

IN ANNO DOMINI 1711

RECTORI

M. AUSTONIUS MACHONDIUS

RECTORI

M. KARLANNUS STERNBERGVS

RECTORI

M. STEPHANVS ARNOOLDI

RECTORI

M. WILHELMVS STABM

RECTORI

M. JACOBVS BUCHNERVS

RECTORI

M. CHRISTOPHVS WILHELMVS

RECTORI

M. JACOBVS BUCHNERVS



M. CASPARVS AR-
NOLDI.

THESIS I.

MORB I nuncupati sunt, teste Galeno, sub-
inde à læsâ particulâ ; subinde ab ipso ^{2. Methi}
Symptomate; sæpenumero ab his ambo- ^{med. cap. 2.}
bus simul; sæpè à Causâ putatâ; nonnum-
quam à Similitudine ad aliquid extra po-
situm.

II. ΠΛΕΥΡΙΤΙΣ latinis Costalis vel Lateralis dictus
à parte, quæ adficitur, nomen habet. ita tamen, vt vnâ
cum parte adfectâ & adfectum ipsum proponat.

III. Continetur autem in genere Tumorum, qui
præter naturam in corpore sunt excitati, & sic ad diuer-
sa & omnia tria morborum genera refertur.

IV. Sed cum tumorum, ratione materiæ, ex quâ gi-
gnuntur, variæ sint differentiæ: Pleuritis à Galeno. lib. ^{cap. 9.}
de Constitut. art. med. 1. & 5. de loc. adf. item 4. de Caus. ^{cap. 3.}
puls. nec non Paulo, Alexandro & Aëtio definitur ^{cap. 8.}
Phlegmone vel Inflammatio membranæ, quæ costas sub-
cingit. ^{propris}

V. Inflammationis vocabulum æquiucum est. San-
guis enim copiosior, quàm pars postulat, congestus vel
confluens ad partem, veram producit phlegmonem.
Quod vocabulum latâ significatione etiam Erysipelata ^{2. ad Glauc}
complectitur, & latissimè ex omni humore generatur. ^{1. 2. de Crif.}
Constabit ergò ex sequentibus, Inflammationis vocabu-
lum in definitione non in priori, sed posteriori signifi-
cato accipiendum. & pro ratione variorum humorum, ^{12.}

A 2

vnâ cum

vnà cum sanguine confluentium varias phlegmonosi tumoris species oriri, varijs nominibus, pro humoris exsuperantis ratione adpellandi.

2. de loc. adf. c. 9.

In lib. de Constit. art. c. 15.

6. aphor. 33

cap. 15. in fine.

Vide Iachin in nonum Rhaz. cap. de pleurit.

l. de constit. art.

3. aphor. 12.

VI. Meminit enim Galenus Pleuritidis pituitosæ & melancholicæ. quamuis, vbi discrimen inter Peripneumoniam & Pleuritidem facit, apertè testetur: pleuritidem sæpenumerò ex bilioso, peripneumoniam verò è pituitoso & crasso fieri consueuisse. Id etiam tacitè indicare videtur in comment. in aphorismum: Qui acidum eructant, non admodum (id est rarò) pleuritici fiunt.

VII. Quomodo autem membrana succingens costas, cum tenuissima sit, crassos humores recipiat, intellige pituitam & Melancholiam: id Gal. lib. de Constit. art. proponit: negat membranam illos humores admittere, sed dum in musculis & vicinis venis infarcti putrescunt, cum ex putredine, tum ex dolore, quem excitant, nouam accersere fluxionem sanguinis, vnde adficitur membrana, non quod ab initio inflammatio ex eo humore dominante esset.

VIII Differentiæ harum inflammationum ex nullo alio signo melius cognoscuntur, quam ex sputi colore, qui maximè naturam humoris indicat. etenim si biliosa, pallidum aut flauum; si atra bilis, nigrum; si pituita, spumofum & candicans; si sanguis, rubrum sputum reijcitur.

IX. Membranam succingentem costas, cum pars sit interna, nec oculis nostris exposita, ex certis notis & signis adfectam esse, sicut & speciem adfectûs, venamur. græcis *πυθρονεινιὰ* dicuntur.

X. Sic spirandi difficultas, febris continua, cum dolore lateris punctiuo ac tussi validâ, cum simul irrunt, pleuritida morbum indicant.

XI. Diffi-

XI. Difficilis est respiratio, quoniam *πλεῖον*, pars re-
spiratorij instrumēti, ob plenitudinem infarctorum hu-
morum ita adfecta est, vt extendi amplius, pro respira-
tione efficiendâ, absq; magno dolore nequeat. vnde & in
specie frequens & exigua erit respiratio, Galeno teste.
Frequens & densa, cum parvâ respiratione minus, quàm
secundum naturam inspirari solet, attrahitur. igitur il-
lud ipsum frequenti & densâ respiratione compensare
studet. Exigua, quoniam mota magis dolent, quàm
quieta, & vt alibi dicebat Gal. instrumenta respiratio-
nis, si grauius fuerint adfecta, dolent vel non mota, si
verò leuior fuerit adfectus, cum mouentur.

lib. de Cor-
stit. art.
cap. 15.

5. de loc.
adf. c. 3.

2. de loc.
adf. c. 3.

XII. Febris necessariò adest, ob adfectus naturam.
Phlegmone enim in vicinâ cordis parte consistens, præ-
fertim, vbi fuerit alicuius magnitudinis, febrim adfert
acutam & ingentem.

XIII. Auicenas negat febres ex membranarum in-
flammatione magnas esse, quod ab exiguo humore pen-
deant. Maxima tamen inflammationem huiusmodi fe-
bris sequitur. quia vt plurimùm est biliosa, & sedes ad-
fecta parùm distat à Corde, illius tunicæ & diaphragma-
ti connata.

l. 1. fen. 4.
tract. 4. c.
13.

XIV. Illud obseruatione dignum, propter Cura-
tionem, quod à medicis quibusdam adnotatur, & expe-
rientia cum ratione verum esse docet: febrim in pleuri-
tide vt plurimùm tertiâ quâlibet die accessiones habere,
quemadmodum in peripneumoniâ, cottidiè exacerba-
tiones deprehenduntur.

Vega in
doctr. febr.
& Trinca-
uel. & A-
uicen. cap.
de pleurit.

XV. Dolor etiam adfectum hunc indicat, sicuti spe-
cies sedem. punctorius enim dolor potissimum circa
membranas consistit, ipsius adfectus veluti radice eo lo-
co fixâ, vbi membrana pungitur, dolore vero circa lo-
cum punctum circulatim se fundente.

2. de loc.
adf. c. 5.

XVI. Tussis superuenit, quia per ipsam pleuram transsudat sanies, quæ à pulmonib. adsumta, tussim necessariò producit, quam tamen, cum, quod interdum nimis dura sit membrana, vnde parum resudet; tum etiam, quod materia lenta & viscida sit, non statim exscretio sequitur.

13. Meth.
med. cap. 18

XVII. Studiosè adnotamus: saniem illam, quæ in cavitatem pectoris illabatur, transsudare per ipsam pleuram, neq; rupto abscessu in illam effundi, vt nonnullis visum est, id quod pulcerrimè Gal. sequentibus verbis docet: Omne membrum phlegmone laborans, nisi cutim sibi circumdatam habeat spissam, tenuis saniei aliquid foràs transmittit. Ad eumdem modum etiam ex internâ facie pectoris, cum phlegmone premittitur, excernitur aliqua sanies. Quemadmodum igitur lienis & Iecinoris caua per intestina; gibba vero Iecoris & renes per vrinas purgantur: ita pectus, vbi interna eius phlegmone tentantur, per membranam, quâ tegitur (*υπεζωότα* vocant) aliquid in medium sui pulmonumq; spacium transmittit. Id autem expurgari, per eandem, quæ pulmo, viam debebit.

5. de loc.
anf. c. 3.

XIIX. Quod si quis pleuram validam ac neruosam, nec facilè diuisibilem membranam esse, ac proinde humores in spacium Thoracis illapfos non transmitti, sed rupto tantum abscessu effundi contendat, Galeni habet responsionem: Cutem membranis esse longè fortiolem & crassiolem, vt cruentum humorem vix posse transmittere videatur, cum tamen in fracturis aliquando vsq; adeò copiosum effundi videamus, vt totas etiam fascias cruentet. Quod cum ita fiat idem per reliquas membranas etiam tenuiores fieri posse, haud absurdum fuerit.

XIX. Vt

XIX. Vt autem per pleuram transsudans sanies in capacitate m Thoracis illabitur: sic per membranam pulmones ambientem, eadem sanies, quamuis crassior facta, transsumitur in pulmones & asperam arteriam, ac demùm tussi reijcitur. quemadmodum contra Erasistratum Gal. prolixâ oratione citato capite docet.

5. de loc.
adf. c. 3.

XX. Hactenus enumerata signa propria sunt, & inseparabilia pleuritidis, quoniam ex naturâ rei necessariò consequuntur. neq; possibile est, pleuriticum esse, cui non omnia hæc adint.

2. de diffie.
respir. c. 8.

XXI. His etiam pulsus mutatio annumerari solet. Febris continua celerem, frequentem & magnum adfert pulsum, qui tamen ob partis naturam, quæ neruosa est, erit cum duricie ac tensione. quo Galenus & Trallianus pleuritidem ab Hepatis inflammatione optimè distinguunt. & Gal. ad Siculum medicum à Glaucone Philo-
pho deductus, primâ accessione eum hepatis inflammatione laborare cognouit, cum tamen à reliquis medicis tractaretur non aliter, ac si pleuritide laboraret.

1. de Const.
artis. c. 15.
Et 3. de
presag. ex
puls. c. 3.
2. de loc.
adf. 9. l. 6.
c. 1.
5. de loc.
adf. c. 7.

XXII. In speciebus vel differentijs pleuritidis enumerandis potiùs Galenum, quàm Auicenam, inter quos aliquid est discriminis, sequimur. qui quatuor eius species constituit: Exquisitam, non exquisitam, & duas spurias. quas species signa ἐπιφαινόμενα & σιωδρέοντα comitantia & adfidentia optimè distinguunt.

5 de loc.
adf. c. 2.

XXIII. Hæ species & differentiæ, ex præcepto Hippocr. diligenter medico considerandæ, cum ad loci adfecti dignotionem, ad præflagitionem eorum, quæ ægro sunt euentura; tum prætereà ad Curationis inuentionem, sint vtilissima. quem-ad-modum Gal. in eiusdem aphor. comm. monet.

6. aphor. 3.

XXIV. Exquisitam Gal. definit, per quam succingēs costas membrana inflammatione laborat primariò. vbi febris

febris adest magna, cuius dolor est punctorius & exten-
sus ad iugulum aut hypochondrium pertingens. Si enim
radix mali in superioribus, ad iugulum; si in inferiori-
bus, ad hypochondria vergit.

de constit. XXV. Hinc pleuritis magna Gal. est, quæ utriq; ; par-
art. c. 15. ua pleuritis, quæ neutri extremo communicat. Species e-
3. de Crif. nim mali ex accidentibus proprijs dignoscitur; magni-
4. de Const. tudo vero ex eorundem quantitate.

art. c. 16. XXVI. Ociosa est speculatio, quam Gal. lib. de Con-
c. 15. stitut. artis proponit. ubi inter phlegmonen partis exte-
rioris & interioris pleuræ (quam duplicem esse Anatomici
docet) distinguit, eamq; in decubitu discrimen face-
re docet. Utrâq; enim adfectâ decubitus super sanum &
oppositum latus, propter suspensam & pendentem in-
flammationem molestus est.

XXVII. Non exquisita dicitur pleuritis intercosta-
lium musculorum internorum phlegmone; in quâ pleu-
ram etiam inflammari necesse est, cum per eam fluxionis
pars ad thoracis spacium transmittatur & refudet. ve-
luti rursus ubi pleura primariò laborat, interiores mu-
sculi quoq; adficiuntur.

2. de loc. XXIIIX. Porrò laboret ne magis pleura, quâ muscoli in-
adf. c. 3. teriores, illam contingentes, pulsu Gal. distinguit. nam
musculi minus, membrana vero magis tensam & duram
repræsentat arteriam. Quin & in hac specie pulsa-
torium dolorem sentiri vnâ cum Gal. autor est Rhazes,
qui, cur in exquisitâ pleuritide non fiat, eodem loco à
Gal. adnotatur. An vero in hac specie maior dolor, quâ
in præcedente sentiatur, id quod idem Rhazes voluit,
meritò in dubium vocamus.

XXIX. Notha pleuritis inflammatio est externorum
intercostalium musculorum, ubi quidem lateris dolor est
cum

cum febre, & respiratio tùm parua, tùm frequens, quo ab exquisitâ pleuritide crudâ nihil differt, ab hac tamen facilè distinguitur. quod in nothâ pleuritide nulla omninò sit tussis; exquisitâ pleuritide crudâ laborantes siccâ tussi molestentur. Deinde, quod neq; tensionem, neq; duriciem vllam referat pulsus. Postremò, quod non æquè acuta sit febris, neq; adeò difficilis respiratio. In hac, sicuti & in præcedenti specie, decubitus in vroq; latere par est. *de constit. art. cas.*

XXX. Altera notha pleuritis superpositorum thoracis musculorum Inflammatio est, quæ pressa extrinsecus inflammato loco dolet, & sputo non purgatur, quia nihil eius succi, qui phlegmonem excitat, ad thoracis spacium peruenit. Sed concoctus (nisi prius discutiatur) ad cutim vsq; attollitur & inciditur. In hac specie decubitus in adfecto latere molestus.

CAVS S AE.

XXXI. Cum autem Pleuritis inflammatio sit, & omnis inflammatio de genere Tumoris præter naturam; ortus verò omnium Tumoru, mvt infinitis in locis Gal. testatum reliquit, ex defluxione in aliquem locum. Pleuritis quoq; ex fluxione in partem nunc ægram & antea imbecillam orietur.

XXXII. Interna caussa erit, cum natura excrementis refertas venas habet, à quorum vel copiâ vel molestâ qualitate facultas expultrix valida eadem de parte in partem & tandem imbecillam propellit.

XXXIII. Ab externis caussis licet nulla Curationis Indicatio sumatur: medico tamen rationali scitu sunt necessariae, ad exactiorem adfectus dignotionem. In horum igitur numero erunt: frigus exprimens, æstus colliquefaciens, vinolentia & quiuis largior potus, *4. Meth. med. c. 3.*

B

Vsus

Vfus venericus, ictus violentus, lapsus, vociferatio, ex-
candescencia, cursus & aliæ exercitationes, balnea, ni-
mius vfus calidorum aromatum, frictiones duræ.



M. ANTONIVS MA-
CHOLDVS.

PROGNOSTICA.

XXXIV.

2. aphor. 23
1. lib. de
caus. &
sig. acuto-
rum c. 10.
3. aphor. 5.

Inter anni tempora hiems maximè hunc mor-
bum producit, vt post Hipp. Aretæus adnota-
uit. Secundò autumnus. ver minus, nisi inter-
dum frigidum sit. æstas verò minimè.

XXXV. Ex tempestatibus Aquilonia eundem mor-
bum parit.

XXXVI. Inter ætates senes pleuritidi maximè sunt
obnoxij, autore Aretæo, qui etiam sæpiùs, quàm alij li-
berantur. neq; enim magna phlegmone in arido corpore
excitari potest, neq; in pulmonem transitus facilis est,
quippe qui est in senectâ, quàm in aliâ ætate frigidior.
quando & spiratio parua est, & omnium attractio imbe-
cilla.

3. aphor. 30 XXXVII. Hippoc. teste, qui iuuenilem ætatem supe-
rarunt, maximè hoc morbo capiuntur.

XXXVIII. Idem Aretæus iuuenes & viros hoc mor-
bo non ita frequenter corripit eodem loco scriptum re-
liquit, neq; ita frequenter ab hac passione liberari. nam
neq; ab exiguâ causâ, neq; ob exiguam phlegmonem æ-
grotant. In magnis autem maius inest periculum.

XXXIX. Pueros minimè pleuritide laborare, idem
est auto-

est autor, minusq; ab eâ periclitari. quandoquidem puerilia corpora rara, humida, fluxaq; sunt, ac multa in eis difflatio atq; digestio, quocirca neq; magna contrahitur phlegmone, ea est huius ætatis in hoc morbo felicitas.

XL. Aurelianus fœminas minus pati pleuritidem maribus testis est. Cuius rei haud dubiè eadem est ratio, quæ de pueris ex Aretæo allata.

XLI. In pleuritide sputum si statim initiò adpareat, breuem fore denunciat; si verò posteriùs conspiciatur, longam. 1. aphor. 12.

XLII. Galenus interpres hoc ita explicat: Quod si antetertium spuere contingat, circa septimum aut nonum, aut tardissimè vndecimum diem solutio morbi. Et paullo ante: Licet pleuritis ut plurimum habeat decimū quartum Criseos terminum, aut si non hunc, at certè omninò vigesimum: tamen in Anaxione Hipp. ægroto totius morbi solutio trigesimoquarto die, quod decimo-septimo die primū pauca concocta cœpit exscreare. in comment. eiusdem aphor.

XLIII. Nihil omninò exspuere perniciosum est, partim, quod significet, fluxionem in phlegmone quasi deuinctam, teneri; partim verò quod totus (quoniam intus manet) corrumpatur. de constit. art. c. 16.

XLIV. Hinc alibi Galenus: Incoctæ, strictæ, & siccæ (sine sputo) pleuritides, vel celeriter hominem rapiunt, vel longo temporis spacio finiuntur. 5. de loc. adfect. c. 3.

XLV. Sreatus facilis & procul à labore saluberrimus est, & longè etiam magis, si concocta exspuantur. de Constit. art. c. 16.

XLVI. Perniciosissimum est sputum nigrum, in quo præpollet atra bilis, utpote, quæ præ cæteris & corrodat & maligna admodum sit, concoctūq; difficilima, & ad purgationem ineptissima, atq; etiã plurimum indicat calorem, à quo sit per assationem genita. Omnium mitissimum sputum sanguineum est. Sanguis enim dulcissi-

mus & ad concoctionem facilis. Medium in simplicitate ac malignitate reliqui duo locum obtinent.

7. aphor. 11.
5. aphor. 8.

XLVII. A pleuritide peripneumonia malum.

XLIIIX. Qui pleuritide laborant, nisi intra quatuordecim dies supernè repurgentur, ijs in Empyema mali fit translatio.

XLIX. Fuchsius hos dies, ab eo, quo æger primùm cœpit exspuere, numerat. quos tamen ad initium morbi Hollerius restrinxit. Verùm diligens obseruatio verriorem esse Fuchsi, quàm Hollerij sententiam, hisce præsertim in locis, nos docuit.

l. 2. prognost. 58.

L. Transmutationem fieri inordinatus & non typicus rigor & febris ostendit. & in parte, quæ dolore vexabatur, graue pondus sentitur, Hipp. teste. Vidit Iachinus vomicæ ruptionem, aliquando tertio die, præ influxus multitudine factam. quem ægrum, cum ex præcedenti morbo debilis esset, citò suffocatum interiisse adnotat.

Lang. l. 2.
epist. 40.
6. de loc.
adfect. c. 5.

LI. Quamuis autem aphorismus citatus pleuriticos supernè (per expectorationem intellige) expurgari indicet: non negandum tamen erit, id quod testimonio Galeni quoq; confirmatur: Expurgationem pleuriticorum per vrinæ vias interdum fieri. verum huius rei variae viæ sunt excogitatae.

LII. Auicenas hanc viam finxit è pulmonibus per venam arterialem in dextrum ventriculum cordis, hinc in venam Cauam, inde in venas emulgentes, & tandem per renes & vretes in vesicam ferri & excidere.

LIII. Galenus verò è pulmone per arteriam venalem eructari in sinistrum ventriculum cordis, hinc in magnam arteriam, & ex hac per emulgentes arterias pelli & erumpere ad vesicam.

LIV. Galeni viam multi non recipiunt, sed argumentis

mentis quibusdam impugnant. De quo vide disputa-
tionem P. Andr. Matthioli & Iul. Alexandrini in illius *l. 1. epist. 3.*
epistolis Medicinal. *§ 4.*

LV. Nec desunt, qui vtramq; hanc viam & modum
reijciunt, & per vias alias manifestas & patentes, venam
αζυγον nimirum & ramum eiusdem, qui in latere sinistro
venæ emulgenti coniungitur, fieri contendunt. vide Fal-
lop. in suis obseruationibus de venis. vbi in schemate *obseru. 5*
hanc coniunctionem venæ sine pari, cum sinistra emul-
gente proponit. Consule & Ambros. Pareium. Quin & *l. 3. c. 13.*
à quodam fide digno accepimus Dn. D. Hieron. ab Aqua-
pendente, quomodo ramusculus hic ex venâ *αζυγον* in ve-
nam emulgentem implantaretur, in publicâ Anatomia
monstrasse. qui tamen nobis, qui lynceis oculis hæc con-
siderauimus, in multis sectionibus non adparuit.

LVI. In hac viarum & modorum diuersitate, siue v-
num siue alterum statuas, perinde erit, cum res nullam
adferat difficultatem medicam. Certum tamen est, natu-
ram, quæ sine doctore docta est, meatus insensiles & Me-
dicis ignotos, ipsi verò optimè notos, sibi patefacere, per
quos se exoneret & alleuiare studet. Sic abscessibus per *Gal. com-*
ossa viam inuenit. aquæ hydropicorum per vias nobis *ment. an 7.*
ignotas in pectoris cauitatem labuntur. Nullus etiam *aphor. 54.*
manifestus meatus, quo è cauitate pectoris, pus aut fani-
es in asperam arteriam deriuetur. Sic etiam hisce diebus
abscessum abdominis per secessum expurgatum vidimus.
Confluxile namq; & cōspirabile vniuersum nostrum cor- *Hipp. lib. de*
pus, consentientia omnia. *Alimento.*

LVII. Vrina bona in pleuritide non adfert certam
spem salutis, quoniam vrinæ ostendunt potissimum vesi-
cam, renes, venosum genus, hepar & naturalia membra.
Sed propterea consideranda, quoniam adiuncta est fe-
bris. Quare si mala, maximi mali argumentum. *Commu- 3. de Cris. 3*
nicari

3. de Crif. 3. nicari enim morbum membris naturalibus significat.

*6. aphor. 16
lib. 1. obser-
uat. 4. & 5.* LVIII. Pleuritide & peripneumoniâ detento, alui profluuium superueniens, malum, inquit Hippoc. Duos tamen doctis: Valeriola annotauit: qui ex alui fluxu copioso in pleuritide oborto, sanitati sunt restituti. Rectissime igitur Hippocr. pronunciauit: In morbis acutis non fatis certas esse prædictiones salutis & mortis.

3. aphor. 19 LIX. Non absurdum ergò est dicere, morbum hunc interdum per alui profluuium finiri, quamuis rarius hoc eueniat. quam ob causam duo ista exempla, tamquam mirabilia & obseruatione digna à Valeriolâ consignata. Hinc factum esse iudicamus, quod Auicenas ait: Deiectionem bis aut ter de die factam à phlebotomiâ excusare.

fen. 10. tr. 3 LX. Pleuritis sinistra, dextrâ, teste Auicē. periculosior.

LXI. Vna salus pleuriticis, tum peripneumonicis, adde etiam Synâchicis (idest, qui anginâ laborant) est ipsum virium robur.

CVRATIO.

*Auic. l. 1.
fen. 4. cap. 1* LXII. CVRATIO, vt omnis, ita etiam pleuritidis tribus veluti capitibus ceu instrumentis perficitur: Diætâ, medicamentis, & Cheirurgiâ.

*Gal. 4. de a-
kim. facult.* LXIII. Quod ad victum (qui inter instrumenta, quibus Curatio absoluitur, primas iure tenere videtur) attinget, Hippocr. in lib. de vict. rat. in morb. acu. 1. hoc morbo pro exemplo vtitur in victu instituendo. ad quam normam & nos victus rationem instituemus.

2. aphor. 8. LXIV. Morbus est acutus, ergò tenui victus ratione vtendum. sed cum acutorum magna sit differentia, quemadmodum Hipp. nos docet, multæ erunt & victus tenuis species.. Hippocr. in hoc morbo ptisanâ (cuius laudes lib. de regim. acutorum decantat) & cremore ptisanæ, victu tenui & exactè tenui vtitur.

LXV. Tem-

LXV. Tempore Hippocr. ptisana erat simplex. Galeni ævo, medicamentosior. Incoquebant enim porrum, anethum, & sal adijciebant. Hodiè pro cuiusq; intentione plura incoquuntur. nã & glycyrriz. adian. hyfop. capill. Vener. passul. Corinth. sem. anis. malux. melon. cucurbit. flo. viol. ad pectus parantes incoquere solemus.

LXVI. Cum autem nostri homines illam Hippocraticam in ediam non ferant, nec leguminib. fructibus & oleribus vescantur, quemadmodum antiqui, & qui à primis hominib. non longè aberant, sed alijs ciborum generibus adfueti sint: nos contra Galenum & Hippocr. ex ^{1. aphor. 17.} cuius præscripto regioni & consuetudini aliquid dandum, non facimus, si nostris ægris cremorem auenæ, lac amygdal. pruna vngar. lac ex sem. melon. cum aq. hord. paratum, mala dulcia affata vel decocta & Saccharo Cand. conspersa, ova forbilia, iuscula gallinarum, panes vocatos Martios, intrita madida, colatitia iuscula, & alia eius generis offerimus.

LXVII. Circa victum tria potissimum consideranda: Quantitas, Qualitas, Tempus cibandi.

LXVIII. Quod ad 1. attinet, ipse Hippocr. multis in ^{de regim. acut.} locis, & potissimum etiam, vbi in lib. de vict. rat. in pleu- ^{1. part. 20.} ritide agit, iubet diligenter respicere ad consuetudinem, neq; in initio multam eius copiam esse exhibendam. Et nota, quod Galen. eodem in loco indicat medio- ^{part. 21.} cremptifanæ modum esse quartam heminæ (quæ vnc. viiij continet,) partem.

LXIX. Quò mitior est morbus, eò pleniori victu vti licet. ^{1. aphor. 7.}

LXX. Quod si vires tantum constent, vt tenui victu ^{1. aphor. 9.} vsq; ad vigorem seruari possit, eundem eligendum; Sin minus, paullo plenior victus ratio instituenda. Nam ^{10. Meth. med. c. 5. in fine.} quod ad phlegmonem minimè cibandum; quod ad viri- um infirmitatem, vtiq; sæpè.

LXXI.

LXXI. Quibus statim vigor, his statim tenuis victus-
1. apher. 10. exhibendus; quib. verò vigor posterius, his ad illud, et-
iam paullo ante illud tempus subtrahendus est.

LXXII. Qualitas cibi & potus hinc consideratur,
si non tantum detur, qui vires conseruet, sed medica-
mentosus, (illud enim præceptum Aretæi, vt in cibo sit
medicamentum, & contrà,) qui pectori gratus sit, & hu-
moris concocti expectorationem promouere, qui crassa
& lenta in pectore attenuare & detergere, tenuia miti-
gare & incrassare possit. Huic negotio accommodata pti-
fana, cremor hordei.

LXXIII. In Tempore hæc tria consideranda: hora
diei, hora particularis accessionis, & quo tempore vni-
uersali morbi cibus exhibendus.

1. apher. 11. LXXIV. In ipsis exacerbationibus cibum adimere
oportet. nam præbere, noxium. Et cum per circuitus
redeunt morbi, in ipsis accessionibus abstinendum.

LXXV. Quod ad vniuersale Tempus morbi attinet,
tenuiter cibandi sunt ægri, antequam sputum procedit.
pleniùs, cum exspuere incipiunt. vnde veteres in initio
huius morbi vel nihil, vel solum potum dabant.

LXXVI. Potus veterum in hoc morbo erat aqua
hordei, mulsa, oxymel. nos aquam hordei, cui parum
cinnamo. & parum glycyrrizæ incoctum est, & quæ syr.
viol. dulcoratur, exhibemus. Quod si magis extergere
animus est, loco syr. viol. mel in aliquâ quantitate addi-
mus. fortiùs id præstabit, si hyfopus, marrhub. capill.
Vener. radix Irid. admisceatur. In pituitosâ pleuritide
aqua mulsa valdè conueniens.

LXXVII. Omnia hæc paulatim & velut pitissando
deglutiri debent, quoties æger in exscreando laborat,
vt huius portio ad pulmones destillare possit.

LXXIIX

LXXIIX. Hippocr. & Galenus vinum concedunt. <sup>l. 3. de re-
gim. acut.
c. 2.</sup>
dulce tamen, quod reliquis minus grauat caput, & mi-
nus mentem ferit. Summâ cautione, & non nisi cum aq.
viol. scabiosæ, veron. dilutum id exhibendum. Trallia-
nus, citato loco, si vires admodum imbecillæ videantur,
vinum propinat. In declinatione conceditur, vt & ali-
menta pleniora.

LXXIX. Aqua frigida suspecta est. frigidum enim
pectori inimicum, tusiles mouet, destillationes efficit, ^{5. aphor. 24}
vnde Aretæus: Cur frigidam pleuriticis nonnulli dedê-
re medici, nec ratione adsequi possum, nec experientiâ
persuaderi. Si enim quidam à frigidâ periculum euita-
tarunt, illi mihi pleuritici fuisse non videntur. Etenim
in lateris inflammatione & succingentis tumore non so-
lùm frigida aqua, sed etiam frigida respiratio mala.

LXXX. Aër igitur sit temperatus, parùm tamen ad
caliditatem vergens.

LXXXI. Quies omninò adhibenda, & ab omni mo-
tu abstinendum.

LXXXII. Somnus in omnium partium internarum
inflammationibus præsertim circa initia noxius est. qui-
a sanguis per somnum intrò rapitur. vnde & Aurelianus
in hoc morbo vigiliam imperat, sed frustrâ, cum dormi-
re nequeant.

LXXXIII. Mediocris igitur somnus in initio con-
uenit, longior in declinatione. Aeger decumbat illo si-
tu, quo se melius ac facilius habere sentiet. In parte ad-
fectâ si decumbat, indolentior est decubitus, vnde & hoc
commodi accedet, quod calore aucto phlegmones mate-
ria resoluatur.

LXXXIV. Omnes animi perturbationes, iram præ-
sertim, metum & mœrorem fugiant.

LXXXV. Alius si subsistat, eius etiam curam gerere
debemus,

C

1. de regim.
acut. p.
52.

debemus, ex præcepto Hippocr. dicente enim Galeno in comment. vaporis & spiritus flatuosi & exhalationes stercoris, cum ad latus peruenerint, dolorem ipsi pariunt & adaugent. Subducenda igitur clystere, si opus fuerit, aut mannâ in decocto pectorali exhibita.



M. HERMANNVS CV-
NERDINGVS.
PHARMACEIA.
LXXXVI.

2. de regim
acut.

PLEVRITIS, cum sit tumor præter naturam, se summouendam indicat. Id Hippocrates in initio audacter fomentis facere tentat, siue statim inter initia sit ortus, siue postea superuerit, vt hac ratione resoluat materiam in parte contentam. Eadem ratione dolores oculorum aliquando curat.

6. aphor. 31.
13. Meth.
med. c. 6. &
2. ad Glauco
c. 2.

LXXXVII. Sed cur idem ad augmenti prohibitionem non ea, quæ repellendi vim habent, in initio adplicat, vt in alijs inflammationibus fieri solet? Pars adfecta & partis adfectæ positus hoc dissuadet. repercutientia enim, cum materiam intrò agant & altius infigant, pro pleuritide peripneumoniam & pro peripneumoniâ suffocationem gignerent.

LXXXVIII. Sic emollitio & laxitas, vt respirationis facilitatem augent, ita adstrictio contrà.

1. 3. de loc.
ad. c. 3. &
1. de Com-
posit.
med. s. l. c. 1.
& 8.

LXXXIX. Galeni præceptum est perpetuum. Vniuersalia præmittenda particularibus. Ergò, vt nec repellendum, multò minus resoluendum, priùsquàm totum corpus euacuatione conuenienti probè sit purgatum.

XC. Ale-

XC. Alexander Trallianus Hippocr. excusare videtur, iubens, ne quis sanguinem mittat aut purget, ut multi faciunt, nisi accuratè cognouerit, humorem, qui facit phlegmonem esse multum, & in toto corpore abundare. Cuius rei iudicium certum ex adhibito fomento desumitur.

XCI. Fomentorum ut varias differentias, sic & varios adplicandi modos proponit. Primum ex aquâ calidâ cum spongiâ, vel ex vtre & vesicâ, vel ex vase æneo aut testaceo adhibita. Sed ut minimâ cum molestiâ adhibeatur, molle aliquid, ut linteum & lanam substerni vult lenitatis gratiâ. Spongiam expressam admouet, ne succus quoquouersum effluat, quam & linteo contegit, ut calor diutiùs permaneat, & ne vapor à spongiâ ad os feratur, difficilemq; faciat respirationem.

XCII. Alterum fomentum ex hordeo & eruo in oxycrato cocto, & sacculo excepto adhibet. eodem modo & furfur. Hunc fotum Galenus adplicari vult, ubi suspicio est, crassos & glutinosos humores in particulâ inflammatâ collectos, quos erui vis siccare, conficere & per habitum digerere potest.

XCIII. Tertium ex rebus ficcis, milio & sale, quorum hoc acre, illud acredinis expers, sacculo infutis paratur.

XCIV. Hodiè fomentis rarè in initio, nisi notha sit pleuritis utimur. Horum tamen vsus etiam in verâ pleuritide commodus, post vniuersalia remedia.

XCV. Parantur ex rad. alth.; herb. maluæ, bismal., flo. chamom. melil., anethi, parietar; feminib. lini, fœnugr., & similibus addito ol. viol., aneth., quæ filtro vel panno duplicato, aut in vesicâ suillâ adplicantur. Hæc, præterquam, quod, quæ in parte sunt dissoluunt, anodyna sunt, atq; hac ratione fluxiones cessare faciunt.

cap. de Tri-
sico.

XCVI. Excogitârunt, qui Anglicum composuerunt herbarium, medicamentum ex fermento, quod multi pro secreto habent: Rec. rad. alth., vel cortic. rad. ulmi, liliorum an. vnc. 2. maluarum, violariæ, flo. hyperic. chamom. an. M. 2. Coquunt, conterunt & cribrant, admiscunt fermenti panis cibarij vnc. 5. farinæ sem. lini & fœnugr. an. vnc. js. ol. amygdal. vel butyri insulsi, ol. viol. an. vnc. 2. f. catapl. Lenit, concoquit, collectiones feliciter discutit. Hoc medicamento in initio adhibito plurimos pleuriticos discussione sanatos esse, sunt, qui strenuè adfirment.

XCVII. Fermentum huius medicamenti basis est. quod impactum & inculcatum in loco angusto sanguinem factâ quasi fermentatione, distendit rarefacitq; membrum, non secus ac pasta farinacea, massam distendit & rarefacit.

XCIIIX. Quamdiu fomentum sit adplicandum Hippocr. non definit. neq; certo numero dierum & horarum definiri potest. Sed tunc desistendum, vbi ab eius vsu dolor acerbior euadit, & deterius æger habere incipit.

2. de regim
acutorum.
p. 9.
13. Meth.
med. c. 6.

XCIX. In tali igitur casu curatio ad causam antecedentem, à quâ phlegmone fouetur & augetur, conuertatur.

C. Quid igitur faciendum? Sanguis mittendus aut expurgandum. In quo autem hoc vel illud magis conueniat, distinctione doloris docet: Sanguinem mittendum, si ad iugulum, brachium, vel mamillam dolor protenditur; vel si ad hypochondrium desierit, aluum mouendam.

CI. Venam incidit internam & quidem adfecti lateris. Ea enim magis & citius, quemadmodum Galen. in comment. adnotat, ab adfectâ parte reuellit & euacuat. ita, vt hæc sectio & fientem & factam pleuritidem curet. Internâ non adparente mediam secare iubet, & si nec
se pro-

se profert, ad humeralem confugiendum præcipit.

CII. Vbi tamen Pleuritis à suppressis mensibus & hæmorrhoidibus, & quod non commodè à partu mulier purgetur, originem duxerit, hanc sectionem illa, quæ ad talum, vel propè malleolum fit, præcedat.

CIII. Qui in latere opposito phlebotomiam adhibent, pleuritidem non curant, sed noxium humorem vel in inflamatâ parte relinquunt; vel puro sanguini permiscent; vel (quod frequentissimè accidit) sani lateris pleuritidem inuehant.

CIV. Cum enim acuti morbi generosa & celerrima auxilia requirant, & tardare in talibus malum sit, cum internorum membrorum inflammationes citissimè hominem rapere soleant, rectiùs in brachio lateris dolentis, quàm in illo, quod lateri dolenti contrarium est, venam incidimus, ne pro citissimo & promptissimo remedio tardum & ignauum substituatur.

CV. Fidem huius rei nobis facit Galenus isto in libro, quem de Curandi ratione per sanguinis missionem, scripsit. inquit enim: Pleuriticis, quæ è directo laborantis lateris adhibita fuit sanguinis missio, clarissimam sæpè vtilitatem attulit. quæ verò è brachio opposito, aut omninò obscurâ, aut certè post temporis interuallū.

CVI. Hac etiam ratione, dùm reuulsionem ab eodem latere instituimus, illud Hippocr. κατ' ἴζω & κατ' ἐνθῆ rectitudinem, communionem & societatem, quam partes ad se inuicem habent, obseruamus.

CVII. Vesalij opinio ex Anatome, & potissimùm venâ ἀξυγῶ desumpta, quâ in octo costarum inferiorum phlegmone semper dextri brachij venam esse fecandam, etiamsi dextrum latus non doleat: in superiorum verò quatuor, quæ lateri adfecto respondeat, ingeniosissimè caussatur, à doctissimo Hollerio examinata rejicitur.

Lud. Mercat. de morb. mulieb. l. 4. c. 11.

Donat. ab Altomari.

Trincauel. cap. de pleurit.

Fernel. Meth. med. lib. 2. c. 5.

4. aphor. 10

c. 15. & 16.

comment. in caput. de pleurit.



*in Obseru.
Anatom.
circa med.
Auric. l. 1.
f. 4. c. 20.*
CIIIX. Inueniuntur, qui sectâ venâ in pleuritide v-
nâ cum sanguine pus effluxisse se manifestò vidisse ad-
firmant, cuius euentus nulla alia causâ, quàm quod tres
vel quatuor rami venæ axillaris iungantur cum tribus
vel quatuor propaginibus venæ ἀξυς, id quod Fallop.
adnotauit.

*Fernel. l. 2.
Meth. med.
c. 4.*
CIX. Arabum commentum est, in biliosâ pleuriti-
de à phlebotomiâ abstinendum, cum sanguis sit frenum
bilis; sed cum calida biliosaq; plenitudo omnium impu-
rarum tutissimè venâ sectâ tollitur, vt quæ non modò
eam minuit, verum etiam refrigerat. meritò hac in parte
Arabas negligimus.

*l. de Humo
rib. pag. 33.*
*in com-
ment.*
CX. Hippocrates quoq; in pleuritide, vbi sanguis
exspuitur, & natura ægri est biliosa, venæ sectionem dis-
suadet. Quæ sententia, cum, teste Galeno, variè à varijs
scribatur, ab eodem non recipitur. addit tamen, inter-
dum pleuritidem adeò placidam ac mitem esse, vt non
necesse sit, sanguinem mittere, sed prodesse, vt alijs re-
medijs, ad pleuritidem accommodatis curetur.

CXI. Aretæus eodem die, quo pleuritis inuasit, ve-
næ sectionem suadet. Vnum casum excipit, quando ni-
mirum à cibi potusq; repletionem contigerit. Tunc enim
differendum, & vnus diei in ediam præcipiendam, ne in
vasa inanita crudus humor rapiatur.

l. 2. c. 10.
1. aphor. 1.
CXII. Cumq; vt suprâ dictum, morbus hic aliquan-
do suas manifestas habeat accessiones, exspectanda erit
eius remissio. nam, vt Celsus alibi monet, quando vehe-
mens febris vrget, in ipso impetu eius, sanguinem mit-
tere hominem iugulare est. Quando verò non speratur
remissio, quouis tempore vena incidenda. præceptum enim
occafio.

*4. de regim
acut. p. 47.*
CXIII. Hippocratis consilium est: vsq; ad lipothy-
mian sanguinem mitti debere. & donec pro puro & ru-
bicundo

bicundo liuidus effluat. non faciendum hoc citra di-^{2. de reg. a-}
stinctionem, sed tunc solum, cum vires permittunt. neq;^{cut. p. 10.}
existimo, nos contra præceptum Hippocr. fecisse, si repe-
titione sanguinem extraxerimus.

CXIV. Aretæus propterea sanguinis missionem
partitur, & cum mediocriter sanguinis effluxit, interie-
cto temporis spacio ad recreandum, iterum detrahit, si
opus est. si bene quidem habent, eodem die; cum longa
remissio fit. si minus, postridiè.

CXV. Cucurbitulis etiam, cum ad repellendum,
tum etiam ad euacuandum, plurimum utimur, teste Ga-^{lib. de Cu-}
leno quas cum scarificatione adfigi, Tralliani non con-^{curb.}
temnendum auxilium est. Vfus illarum, vbi non magna
admodum copia materiæ est, vel in illis, qui sectio-
nem venæ non ferunt. vt in pueris & delicatoribus.

CXVI. Insensibiliter quoq; reuellunt cucurbitulæ
ficcæ, vincula dolorifica artubus iniecta, eorundem fri-
ctiones auxilia à practicis in initio commendata.

CXVII. Consiliū Hippocr. est: vt, si dolor ad hypochon-^{2. de regim}
dria descendat, omisâ venæ sectione, purgatione initio^{ac. p. 11.}
curandos esse.

CXVIII. Galenus interpres hoc explicat: materiam
peccantem, ob viciniam & rectitudinem cum intestinis
facilimè & citissimè ad aluum deriuari. & aliàs Hippo-
cra. præcipere: Quæ educere oportet, quò maximè ver-^{1. aphor. 21.}
gere videbuntur, ducere, vijs ac locis eò vtiliter ferenti-
bus: Phlebotomiam contra in tali casu, vbi promptissimo
opus esset remedio, tardum adferre.

CXIX. Cathartica Hipp. eligit vehementissima: helle-
borū & peplium. admiscet tamen, quæ horū medicamen-
torum vehementiam & malignitatem retundere possunt.

CXX. Huic sententiæ alia ab eodem autore scri-
pta planè videntur esse contraria. inquit enim:

Qui

4. de regim
acutorum

Quicumq; inflammatas partes ab initio medicamento soluere conantur, non solum nihil adimunt, sed etiam quæ morbo resistunt & sana sunt, absumunt contabesciuntque.

1. Enarrat.
Med. c. 3.

CXXI. Sententias hæc doctissimus Valeriola optime conciliat. non enim quicquid humoris membro inhaeret & phlegmonem parit, sed quod in venis, loco inflammato proximis, phlegmonem auget, dato medicamento solui.

CXXII. Aurelianus consilium Hippocr. de purgatione in hoc morbo planè improbat. Quin & ipsi Galeno (cui aliàs Hippocratis verba diuinum oraculum) suspectum. cum purgatio semper phlebotomiâ, vbi partes inferiores adficiuntur, nocentior: quòd concitatos & commotos humores ad loca adfecta diducat & transferat. Licet igitur venæ sectio hoc in casu, non sit ita citum & magnum remedium: insigniter tamen confert & multò securius est.

l. 3. c. 33.

CXXIII. Galeni consilium Aegineta secutus videtur. inquit enim: Recentiores omnibus venam secant, veriti (vt arbitror) turbationem ex purgatione.

l. 6. c. 1.

CXXIV. Non tamen statuendum est, numquam purgationem adhibendam. quæ vbi corpus vitiosis fucis scatet, & recrementis plenum adparet, commodè instituitur. Vnde Trall: vulgares medicos reprehendit, qui cauent, ne pleuriticum aliquando purgent, ad sanguinis autem missionem, tamquam inculpatam ac tutiorem confugiunt.

Forest. l.
16. Obser-
uat. c. 27.

CXXV. Hollerius tempestiuam esse purgationem, turgente materiâ, primâ die, aut non vltra secundam, proponit. alij etiam quarto, quinto, immò sexto & septimo (qui postremi, eò quòd Crises Criseonque indicationes interturbent, nobis suspecti) die, vbi
materia

materia fluxit, eandem commodam esse statuunt.

CXXVI. Soluitur enim, quæ sanguinea est, pleuritis, non rarò septimo die hæmorrhagiâ è naribus; biliosa eodem modo, vel sæpius sudore.

*Holler. in
Commento
c. de pleur.*

CXXVII. In eligendis Catharticis peplium & helleborum meritò præterimus. cùm quâ quantitate & quo modo veteres illa exhibuerint, nobis ignotum. Vnde Persius:

Diluis helleborum. certo compefcere puncto

Nescis examen. vetat hoc natura medendi.

Nos mitioribus & benedictis vocatis medicamentis: Cassiâ, mannâ, Syr. ros. solut., Syr. viol. solut. diapr. simpl., diacatholic., elect: lenit. & similibus vtimur. His exhibitis sputi motus non inhibetur. id quod diligenter cauendum Hippocr. alibi præcipit.

l. 3. de morb

CXXVIII. In pleuritide pituitosâ etiam paullò fortioribus vti licet: agar. hieris compos., diacantha. &c. Vnde Rodellet., qui omni pleuritidi purgationem negabat, in solâ pituitosâ eam adhibet.

CXXIX. His præmissis ad illa, quæ sputum promouere possunt, nos conuertere debemus. quæ tamen, dum morbus adhuc crudus est, præscribenda non erunt. Sed tùm demùm, vbi tussiendo aliquid educi posse speramus.

CXXX. Horum medicamentorum magna sylua apud praticos reperitur. parata sunt in officinis sacch. penid. cand. syr. viol., de iuiub., diatragac. frig., diapenid., syr. capill. veneris, de tussilag., veron., hyfop., Glycyrr., mar-rhub., Looch san. & exper., looch de pi., è scyllâ. diair. simpl. diair. Salom., diatragac. cal., oxym. simpl., compos. scyll: & similia. quæ omnia expectorationi dicata, eo fine præscribuntur, vt absq; insigni contentione molestiâue expectoratum procedat.

CXXXI. Hinc si materia, quæ ab inflammata parte
D resudauit,

resudauit, tenuis & acris sit, & à facultate expultrice sub-
leuari commodè non potest, incrassantibus primo loco
nominatis vtimur. posteriora cum incidant, attenuent &
abstergant, frigidiori, crassiori ac viscidiori materiae
conueniunt.

CXXXII. Notandum tamen, in pituitosâ pleuriti-
de primum abstergentibus dumtaxat, non etiam inciden-
tibus & attenuantibus, vel parùm calidis esse vtendum.
hisce enim cum materia fluxilior euadat, ad partem ad-
fectam magis inuitatur. quo in casu, syr. capill. ven. qui
sine manifesto calore abstergit & incidit maximè proba-
tur. Consistente autem fluxione tum demùm attenuan-
tium incidentium & illorum, quæ ex acetis parantur,
commodum vsum esse.

CXXXIII. Sacchar. Cand. & syr. de hisop. nobis
vsui erit, cum nondum erimus certi, incrassare an atte-
nuare oporteat. Incrassantibus enim & simul attenuan-
tibus constat, vndè & à Serapione aggregator bonus ad-
pellatur.

*l. 2. Meth.
cur. morb.
c. 14.*

CXXXIV. Benè etiam Rondellet. monet: melius esse
ecligmata componere, quàm paratis vti. nam ob antiqui-
tatem sæpè rancescunt, & ad tussim magis parata sunt.
Ad pleuritidem verò varij, pro ratione morbi, temporis
& temperamenti, linctus ex hisce nominatis ab exerci-
tato medico concinnari possunt.

CXXXV. Fomentis etiam & linimentis sputum
promouetur. Fodus verò qui humectant & internas
partes leniunt, exquisitæ pleuritidi magis conueniunt.
(aridi enim spuria commodant) Parantur ex rad. alth.
lil. alb. herbis emollientibus, caricis, seminib. lini, fœ-
nugr. florib. chamæmeli, melil. anethi, sambuci, furfu-
ribus, & similib. in aq. decoctis. Quin et oleum calens a-
mygdal.

mygdal. dulc. viol. lil. anethi. chamæmel. in vesicâ adpli-
cata plurimum iuuant.

CXXXVI. Linimenta verò ex ol. amygd. dulc. Kei-
rino, lil. aneth. mucag. sem. lin. fœnugr. psyl. butyro in-
sulso, adipe gallinaceo, dialth. & similibus componun-
tur.

CXXXVII. Non desunt, qui dentem apri, puden-
dum bubalum aut ceruinum, flo. papau. Rhœ. terram si-
gill. Card. bened. & Card. Mariæ vel argentatum Ron-
dell. & Ioub. vocatum occultâ proprietate morbum hunc
profigare volunt, illaq; tamquam certas antidotos, ne-
glectis alijs remedijs exhibent.

CXXXIIX. Verùm cum Gal. alibi dicat: nihil do-
cere illos, qui ad proprietatem, quæ exprimi nequeat, ^{l. 3. de pra-}
confugiunt: nos florum papau. Rhœ. & terram Lemni- ^{sag. expul.}
am in frigidando & incrassando manifestè iuuare. Pud- ^{sib. c. 5.}
dum verò tauri vel cerui influentem materiam ficcitate,
quâ pollet, absorbere, Card. vero benedictum & Mar.
sudores prouocando, reuellere à parte adfectâ pronun-
ciamus.

CXXXIX. Alchymistæ pro arcano multis experi-
mentis probato commendant flo. sulph. sublimatos, quos
ad drach. i. in aq. Card. bened, aut Mariæ exhibent. Idem
ol. ceræ in iisdem aquis propinatum aut per se illitum
mirificè etiam commendant.

CXL. Symptomata, quæ morbum hunc comitan-
tur, præcipua sunt: vehemens dolor, alui fluxus, vigiliæ,
imbecillitas magna, paraphrenitis, sitis inexplebilis; ca-
ros, anhelitus difficultas, syncope &c. ex quibus si præ-
sens periculum ægro imminet, de his corrigendis vel
submouendis medicus quoq; sollicitus esse debet.

CXLI. Alui fluxus, vt Trall. monet, si vires deijci-
at, ventri necessariò prospiciendum, neq; temerè tunc

venam secandam, aut alio vtendum auxilio, nisi ventri-
tùm superfusiones tùm epithemata, quæ ipsum confir-
mare & retinere possunt, adplicare.

CXLII. Si dolor vehemens vrget, idem præcipit,
vtriq; prouidendum esse, Stomacho & ventri adstrin-
gendo corroborantia esse adhibenda; lateri verò quæ
calefaciunt & laxant, imponenda. sed ita agendum, vt
nihil planè laxans aut iecur aut ventrem attingat.

CXLIII. Eodem autore, si vigiliæ nimiùm vrge-
ant, diacodeiôn & philonium exhiberi potest.

CXLIV. Eorum, quæ instaurantia vocantur, & ad
corroborationem virium & confortationem à medicis
præscribi solent. Rondell. & alij practici magnam copi-
am proponunt, ad quos lectorem recurrere volumus.

CXLV. Reliqua, vt februm symptomata & sæpiùs
repeti consueta, nos consultò hoc in loco negligimus.

F I N I S.



ULB Halle
003 338 150


3




TA-OL

VD 77







D. V. E. T. A. 1594, 4
Sub præsidio clariss. viri
FRANCISCI PARCOVII 6
ROSTOCHIEN. MEDICINAE DO-
CTORIS ET PROFESSORIS PVBLCI
ac eiusdem facultatis pro tempore

DECANI,

Propositiones sequentes

DE PLEVURITIDE EIVSQUE CVRATIONE,

*Ad consequendum in illustri IVLIA, summos
in ARTE MEDICA gradus.*

DEFENDENT

M. ANTONIVS MACHOLDVS
inclytæ Reipub. Brunsvicensis Physicus.

M. HERMANNVS CVNERDINGVS
inclytæ Reipub. Hildesiensis Physicus.

M. CASPARVS ARNOLDI
designatus Medicinæ professor in
illustri IVLIA.

*Fiet disputatio a. d. XIIIX. Septembr. horâ 6,
loco consuetis.*

HELMÆSTADII

Excudebat Iacobus Lucius, Anno M. D. XCIV.